

• nuper ad nos perlata fuerunt quaeque ipsi saepius legimus atque
• exacte perpendimus latius continetur. Quae omnia cum non so-
• lum in vestrarum perniciem animarum et scandalum plurimo-
• rum tendant, verum etiam auctoritatem Sedis apostolicae ac no-
• strae, et ecclesiae juribus et personarum ecclesiasticarum pri-
• vilegiis praejudicium inferant, nec non ipsam ecclesiasticam
• libertatem, immunitatemque tollant, ipso jure nulla prorsus et
• invalida, nulliusque praeterea roboris ac momenti esse et nemi-
• nem ad ipsarum observantiam teneri per praesentes decernimus.
• Qui vero ea ac similia edere et promulgare illisque uti hactenus
• ausi sunt, in censuras ecclesiasticas a sacris canonibus, genera-
• lium conciliorum decretis, et Romani Pontificis constitutionibus
• inflictae, nec non etiam privationis feudorum et bonorum, si quae
• ab ecclesiis obtinent, eo ipso incurrerunt; et nisi post debitam
• monitionem ecclesias et bona ecclesiastica in pristinam liberta-
• tem constituerint, censurae et poenae ecclesiasticae contra ipsos
• eorumque fautores iteratis vicibus gravantur, eorumque domi-
• nium et terrae aliis etiam poenis subjiciuntur; a quibus quidem
• censuris et poenis ejusmodi non nisi a nobis, seu Romano Pon-
• tifice pro tempore existente, absolvi et liberari possunt; et inha-
• biles atque incapaces sunt qui absolvantur et liberentur nisi
• prius editas leges novis edictis decretisque substulerint, omnia-
• que inde secuta re ipsa in pristinum statum restituerint. Nos
• igitur in supremo militantis ecclesiae trono divina disponente
• clementia constituti, haec pro rei gravitate et nostro munere
• conniventibus oculis dissimulare non valeamus, magno certe
• animi sensu ac dolore conati sumus imo facere non potuimus
• quin vehementer admiraremur praestantissimum istum senatum,
• cujus aequitatis et justitiae nomen tanto est apud omnes honore
• et gloria, haec decreta et edicta interposuisse et in illis tuendis
• restituisse. Quare pro ea qua vos universamque istam repub-
• licam singulari benevolentia ac paterna charitate prosequimur,
• vos in Domino commonemus et paterne requirimus si vestrorum